

Register dieses Buchs.

1. Bekantnis von der freyen Verainigung brüder Natur in christo v. Titem. Heshij.
2. Bekantnis vom h. Abendmahl christi. Heshij.
3. Brief von dem Collegio der zu Gnadenburg versambelten Theologen von dem Vbi quist
Vobis Christi Item iudicium Heshij
4. Brief von den neuen Amblingiten
5. Uebersetzung des Dymkates, namentlich zu Leipzig wider die Anhaltischen Theologen
Brief von den neuen Amblingiten
6. Antwort auff etliche fragestellte fragen Titem. Heshij et c. davon ja
7. Extract oder anhang auß einem christlichen Dombrief und warnung v. Heshij (im h. l. 17)
8. Warnung und Vermanung der von Zerbst an v. Selneccern
9. Kürzer geistliche Antwort auff der Anhaltischen Theologen Warnung und Vermanung
10. Selneccerns Kürzer abtunung der samligen Antwort der Zerbster Theologen
11. Auff der Anhaltischen Theologen wider v. Chemnitz und Selner.
12. Bericht Vobis M. Vess Ambling und sein anhang wider den Anhaltischen Prediger
13. Joh. curpi hieser erklärung Vber 3 fragen, welche Hüben erzeigt hat.
14. Disputatio de persona christi Pfaffradij
15. Disputatio. 1. de officio propheta christi. Berckelmanni
16. Historia passionis et resurrectionis per iustum Groschart
17. Enchiridion Catecheticum Cyprii
18. De incarnatione Verbi disputatio per Clearium
19. Disputatio 3. de peccato originis. Hoffmanni
20. Propositiones de Baptismo Heshij
21. Disputatio de ecclesia Dei Boetij

DISPUTATIO XIIX.
DE ECCLESIA DEI.

Quam

SVB PRAESIDIO

REVEREN-

DI ET CLARIS-

SIMI VIRI, DN. HEN-

RICI BOETHII SS. THEOLO-

giae Licentiatum in inelyta IVLIA Pro-

fessoris publici, inter priuatos pa-

rietes defendit

HENNINGVS CORVINVS

è Salinis Hercum.



MAGDEBURGI

Typis VVilhelmi Rosij, Anno

M. D. XCVI.

REVERENDO ET
AMPLISSIMO VIRO,

DN. PETRO Weindrauben / ABBA
ti Riddageshusano dignissimo:

NEC NON

REVERENDO ET CLA-
RISSIMO VIRO, DN. BASILIO

SATLERO SS. Theologiae D. & verbi
diuini in aula Guelfibitano Su-
perattendenti:

ET DENIQUE

VENERANDO NEC
NON PERDOCTO VIRO, DN.

NICOLAO CORVINO Ecclesiae a-
pud Angelstadenfes ministro vigi-
lantissimo, & cognato suo ap-
primè honorando.

*Dominis fautoribus & promotoribus suis omni
obseruantia & studio semper colendis.*

Hanc suam disputationem offert & dedicat

HENNINGVS CORVINVS

à Salinis Heroum R.

DISPUTATIO XIII.

DE ECCLESIA DEI.

I. Θεσις.



Ecclesia ab ἐκκλησίῃ nomen sortita, non vno eodemq; modo semper accipitur, sed interdū locū, in quem cœtus publicus conuenit, interdum ipsum cœtum, & collectam multitudinem notat.

2. Nos autem Ecclesiam de ipsa confluente multitudine, & non de loco accipimus.

3. Hic autem cœtus est vel politicus & ciuilis, vel spiritualis. Ille est, qui in causis politicis, & ob fines ciuiles, atque ad Rempub. eiusque salutem pertinentes; Hic autem, qui in rebus ad religionem & animarum salutem conducentibus, vel verè, vel ex opinione tantum fiunt.

4. Et hic est vel piorum, vel malignantium, utroq; à potiori vel piorum, vel impiorū, in alterutro, dominante multitudine, denominato.

5. Ecclesia piorum est cœtus docentium & discipulorum certo & legitimo ad certum, vel ab ipso Deo, vel hominibus definitum locum convenientium, modo, vt verbum Dei audiat & discat, Sacramentis ad fidei cōfirmationem, & salutis obsignationem, ab ipso Deo institutis secundum sacrosanctam & inuolabilem institutionem vtatur, & Deum ad verbi & sacrosanctæ ipsius legis institutam & cōformatam normam & formam agnoscat, celebret & ministerio morem gerat, in quo cœtu Deus iuxta promissiones verè efficax est, & homines ministerio verbi & Spiritus sui efficacia, regenerat, renouat, iustificat & sanctificat, & omnes fide iustificatos, & in fidei integritate perseuerantes, tandem æternæ vitæ hæreditate donat & glorificat.

6. Ecclesia malignantium est cœtus eorum, qui vel sine vera veræ religionis norma, verbo scilicet Dei diuinitus nobis reuelato, tantum naturæ instinctu, vel legibus & humanis sanctionibus coacti, vel secundum præscriptum & mandatum verbi diuini ab ipsis corrupti & deprauati exercendæ religionis causa conueniunt, suisque, sed pro diuersitate circumstantiarum non iisdem ritibus & rebus sacris vtuntur, quibus se Deos suos placare, & se Deo placere statuunt.

7. Hæc igitur Ecclesia rursus duplex est: vel enim verbum Dei diuinitus reuelatum, & libris consignatum habet, ad quod cum admix-

tione tamen suarum adiunctionum res suas sacras & conuentus instituit & præstat; vel certo Dei verbo prorsus destituta, naturæ tantum instinctu ad divini numinis placationem & cultum confluit.

8. Vtriusque rursus variæ sunt species & formæ, de quibus iam disserendi locus non est.

9. Ecclesia autem piorum est vel militans, vel triumphans: Militans huius: Triumphans autem æternæ vitæ est. Militans adhuc in his terris cum Diabolo, carne, peccato, mundo & nullo non hostium Christi genere confligit & conflictatur. Triumphans autem omnibus eluctata periculis, & aduersitatibus, & desuperatis hostibus in Christo triumphat, & æterno Dei consortio & beatorum consuetudine fruitur.

10. Ecclesia militans est vel vniuersalis, vel particularis. Vniuersalis est, quæ inde ab initio mundi ad eius usque finem in omnibus mundi habitabilis oris & locis collecta, & denuò colligenda, vnum idemque fidei fundamentum, vel verè vel externa tantummodo professione & hypocrisi amplectitur, vnum Ecclesiæ caput agnoscit, & in vnitæ fidei, vinculoque pacis, & fraternæ dilectionis sociata, eandem salutis hæreditatem per & propter Christum donandam sperat.

11. Particularis autem Ecclesia est cœtus certis quibusdam locis & temporibus ad audiendum & discendum Dei verbum, & vsum Sacramentorum congregatus, & verbi diuini, cum quoad fidem, tum quoad veram normam secutus, in qua Ecclesia multi tamen sunt impii, quoad externam professionem de doctrinæ vnitæ consentientes, & vitam politicam honestè transigentes, à vera autem fide & interiore legis obedientia prorsus alieni.

12. Differt autem hæc ab illa non re ipsa, sed circumstantiis solummodo, sicut pars à toto. Ex multis enim particularibus, siue eæ sint, vel prouinciarum, vel vrbiū & ciuitatum, vel familiarum, vniuersalis constituitur, sicut totum ex parte. Vtraque est cum visibilis, tum inuisibilis. Visibilis est & dicitur quoad homines, respectu externæ possessionis, fidei & vsus Sacramentorum. Inuisibilis autem respectu fidei interioris, cuius scrutator solus Deus est.

13. Etsi enim fidei sua sunt signa, ex quibus ea quodammodo agnosci potest; illa tamen sunt fallacia, & sæpe sub externa fidei hypocrisi & simulationis inuolucro, incredulitas tegitur, & soli Deo cognitus Epicureismus.

14. Autor

14. Autor & conditor veræ Ecclesiæ solus Deus est, qui mera φι-
λανθρωπία & motu hominem ad suam imaginem condidit, & sola sua
ἔλεος & misericordia adductus, filium suum ad humani generis re-
demptionem incarnari voluit: iisdem causis partam per Christum
mundo salutem, (ipse enim in Christo erat, mundum sibi reconcilians)
& æternæ vitæ hæreditatem donans.

15. Idem etiam solus mittit operarios in vineam suam, per eosdem
ad filii sui nuptias homines vocat & inuitat, atque operarios in vineam
suam conducit, solus ipse, quos vult, hominum piscatores & dispensa-
tores mysteriorum suorum facit, per eorumque operam & laborem ef-
ficax est. Neque enim, qui plantat, neque qui rigat, aliquid est, sed qui
dat incrementum Deus, is vnicus & solus, & in omnibus totus & to-
tus est.

16. Vritur autem ille suis cooperariis, verbi sui ministris, eorum-
que ministerio, per quos & per quod Ecclesiam suam inuitat, vocat,
colligit, illuminat, iustificat & sanctificat, vt ex multis & dilucidis pa-
rabolicis, cum Christi tum Apostolorum, eius concionibus liquet.

17. Atque hinc Euangelium potentia Dei ad salutem omni cre-
denti dicitur, per cuius sermonem homines fidem concipiunt, & per fi-
dem æternam salutem consequuntur.

18. Etsi enim numeris aut syllabis verbi diuini, & S. sancto mini-
sterio magica quædam vis tale quippiam efficiendi non insit, ipsius ta-
men Spiritus sancti, & totius potius Trinitatis efficacia est, & sit aper-
tissimum medium, quo homines ad Ecclesiam Christi congregantur.

19. Vt autem non cuius Spiritui credendum est, sic non cui libet,
nisi legitimè vocatis, ministerii publici & ordinarii potestas conceden-
da & promittenda est.

20. A ministerio igitur publico extra necessitatis casum, & extra
ordinariam Dei vocationem & voluntatem arcentur & prohibentur,
primò mulieres; deinde omnes illi, qui legitima vocatione destituuntur.

21. Vocatio autem legitima est, cum ordinaria, tum extraordina-
ria, quarum hæc immediata, illa mediata dici solet.

22. Illa est, quæ fit per homines, & ab hominibus legitimè eos, qui
ad docendam & regendam Ecclesiam Christi idonei sunt, vocantibus.

23. Hæc est, quæ prioribus illis in officio suo segnescentibus, aut
idem contemnentibus, modo extraordinario ab ipso Deo immediatè

vocantur, & in Ecclesiæ suæ messem extruduntur; de horum autem legitime, & quidem cum mediata, tum immediata vocatorum gradibus discernendi locus & tempus non est.

24. Ordinaria autem ministrorum vocatio, ut per homines fit, sic suum habet, per quem fit, modum, vocationem nimirum, approbationem & ordinationem.

25. Vocatio totius est Ecclesiæ, cui minister præficiendus est.

26. Approbatio per examen in ordinandi doctrinam, dona, vitam & mores, atque antea vitam inquirat, & pro eorum habitudine præsentatam vel approbat, vel rejicit.

27. Ordinatio autem testimonium est, eum, cui per presbyterum manus imponuntur, in examine idoneum inuentum, & iudicatum fuisse, cui publicum in Ecclesia Christi munus demandaretur.

28. Et si autem mediata & immediata vocatorum magna sit differentia, in eo tamen conveniunt, quod tam hi, quam illi à Deo missi sunt, vel ipsis Apostolis testibus.

29. Ecclesia porro Christi cum ex Iudæis, tum & ex gentibus colligitur; postulanti enim Christo, dat æternus pater gentes hæreditatem & possessionem terminos terræ. Psal. 2.

30. In cuius rei certissimum testimonium etiam ipse Apostolos suos post partam & reportatam ab hostibus suis victoriam in uniuersum mundum se ablegaturum per Davidem promisit, & ad maiorem rei confirmationem amandavit, & hoc non post lætum solummodo ab hostibus suis triumphum, sed & ante suum in carnem aduentum fecit.

31. Tametsi enim ingressus plenitudinis gentium in regnum & ovile Christi, eius in carnem aduentus reservatus fuit, subinde tamen, cum multos, tum singulos, eosque primores & principes, imò totius orbis monarchas ad Ecclesiæ suæ societatem, & participationis eius bonorum communionem inuitavit.

32. Propter maximam verò totius mundi erga munificum creatorem & benefactorem, eiusque beneficia, ingratitude & contemptum ex mera gratia & φιλαυθροπία, ex sola iudaica gente sibi peculium cui sese & sua beneficia reuelaret, & ad suum consortium pertractis communicaret, elegit.

33. Non

33. Non quod ea suæ Ecclesiæ beneficia gentibus inuideret, sed quod gentes diuinam reuelationem contemnerent, & oblatam aspernarentur, & in falsis proprioque ingenio effectis & excogitatis cultibus sibi nimium placerent & blandirentur.

34. Quemadmodum etiam post gloriosam ex mortuis resurrectionem, & de hostibus suis reportatum triumphum, Iudæos, qui se Dei gratia indignos iudicarent, & Spiritui sancto reluctarentur, præterit & sciuit eos ire in adinventionibus cordium suorum.

35. Non quod totum Israëlem & populum Israëliticum omnino reiecerit: sed quod per assumptionem gentium ad earundem emulationem Iudæos exstimulare voluerit.

36. Quemadmodum haud dissimiliter Ecclesiæ Noui Testamenti per Apostolos & eorum successores collectæ propter sinceritatem & sinceræ verbi sui veritatis contentum comminatur, se illis efficaces errores immissurum, vt propter contentam & odio habitam veritatem mendaciis attendat.

37. Cæterum fundamentum Ecclesiæ duplex est; alterum ministeriale siue doctrinale; alterum virtutis siue potentia.

38. Fundamentum doctrinale siue ministeriale est doctrina Prophetarum & Apostolorum, cui tanquam angulari lapidi superædificata crescit & coalescit in vnum & corpus & domicilium, omnibus etiam abiectissimis eius membris, cum mediis & præstantissimis spirituali & quæ per certas membrorum commissuras vnitis.

39. Et ad hoc vnicum fundamentum fidei nostræ attendendum est, sprete omnibus, quæ huic fundamento vel subordinantur vel superstruuntur, vel præter hoc fundamenti loco à fanaticis hominibus Ecclesiæ Christi prostituuntur.

40. Facessat igitur Pontifex Romanus, facessant & omnes aliæ hereses & hæretici, præter hoc fundamentum suas stipulas in Ecclesiam Christi inuehentes.

41. Fundamenti autem huius basis est vnicus & solus Christus cum omnibus suis meritis & beneficiis vnicum illud salutis fundamentum, præter quod aliud poni non potest. Non enim aliud nomen sub cælo datum fuit hominibus, in quo salutem adipiscantur, præter nomen vnicum Iesu Christi filii Dei.

42. Funda-

42. Fundamentum autem virtutis & potētiae est solus Iesus Christus, qui ita suam Ecclesiam aedificat, & sibi angulari lapidi superstruit, ut inferorum portae contra eam non praeualeant, & oves eius è manibus eius, ni ipsae deficiant, & initium fidei deserant, eripere queat nemo.

43. Caput Ecclesiae vnicum est, etiam vnicus & solus Christus, qui Ecclesiae suae & singulis eius membris vitam, sensum, metum, vigorem impertit, eorumque pro suo arbitrio, nutu & voluntate per verbum & Spiritus sui efficaciam moderatur & gubernat.

44. Vicaria autem, hac in re, opera opus ipsi non est, cum quod ea non indigeat, tum quod ea corpus illud vnicum multipliciter deformat, imò in monstrum transformet.

45. Vt enim in vno corpore multa membra inter sese membratim connita vnum corpus constituunt, & vnum solummodo caput habent & agnoscunt: sic & nos multi, imò plurimi corpus vnum sumus vnico Christo, horum omnium membrorum in vnico hoc corpore capite. Fallitur igitur Romanus Pontifex se Ecclesiae Christi caput visibile, & eiusdem vicarium nequiter mentiendo.

46. Cæterum Ecclesia hæc Christi est vna, sancta, catholica & Apostolica.

47. Vna est, quia est vnum corpus, vna domus, vnum Dei templum, vnum Christi ouile, vnus grex sub vno pastore Iesu Christo: quia ab vno spiritu in corpus vnum per ordinaria media coalescit, quia habet vnum caput, à quo omnia & singula, vt vnus solidè inter sese consociata & coagmentata corporis membra reguntur, viuificantur & augentur: quia denique vnum habet Deum, vnā fidem, vnum baptismum, quæ est sanctorum communio.

48. Sancta est, cum, quia Ecclesia vnica Spiritus sanctificantis officina est, tum, quia soli Ecclesiae omnia sanctificationis media diuinitus sunt commissa: cum, quia Spiritus sanctus reuera in hoc solo cœtu veram sanctificationem inchoat, & in futura vita absoluendam continuat: tum denique, quia verè credentibus in vnico & solo hoc cœtu vera iusticia, & per Christum acquisita sanctitas distribuitur, & per quam credentes reuera sunt, & habentur iusti & sancti coram ipsius Dei conspectu.

49. Quæ sanctitas tamen non ad omnia & singula Ecclesiae membra,

bra, hoc est, eos, qui sunt in Ecclesia, & quoad externam conuersationem Ecclesiae adhærescunt, sed ad solos credentes pertinet.

50. Multi enim sunt in Ecclesia, qui tamen non sunt de Ecclesia: In Ecclesia enim sunt quotquot externa professione illi sese adiungunt. De Ecclesia autem est, qui per veram fidem veræ Ecclesiae, atque adeo Christi membra sunt.

51. Quod & ex perspicuis Christi assertionibus & ænigmaticis id ipsum docentibus Christi parabolis, & parabolicis concionibus est manifestissimum.

52. Neque enim illi, qui in oues & gregem Christi grassantur crudeliter: neque hæretici, qui erroris conuicti nihilominus Ecclesiam Christi falsa doctrina perturbare non desinunt: neque Epicurei, qui vel honestatis vel religionis nullam rationem habent: neque falsi fratres sunt de Ecclesia, quamuis sint sæpenumero in Ecclesia.

53. Ex quo duplicia Ecclesiae membra esse porro liquet, quorum alia sunt viua, alia mortua Ecclesiae membra, non à corporali, sed spiritali vita ita dicta.

54. Viua enim Ecclesiae Christi membra sunt, qui vera Christi vita viuificati, vera fide in eo sunt & permanent: Mortua autem, quæ spiritali ea propter Christum, qui Spiritus sancti communicationem conferenda vita destituuntur.

55. Iphis etiam Christi fidelibus membris multum infirmitatum adhærescit, quibus quidam nonnunquam præoccupati grauius labuntur: ita tamen, vt postea per Dei gratiam resipiscant, & pœnitentiam agant: multi autem ita lapsibus absorbentur, vt nunquam postea ad meliorem per verum pœnitentiam frugem, & ad verum Ecclesiae complexum redeant, & reuertantur.

56. Non est igitur, vt cum Donatistis, & eorum similibus Ecclesiam in hac vita puram & ab omni labe defecatam nobis imaginemur, aut ab ea, in qua non omnimoda omnium rerum perfectio est, nos seiungamus.

57. Etsi enim sua Ecclesiae etiam in his terris est perfectio, ea tamen imputationis est, quæ fit per fidem, & tantisper, donec credentes in fide permanent, durat: quæ autem inchoationis est ea, vt numeris perfecta esse debet: ita ad graduum perfectionem in hac vita nunquam conscendit.

58. Catholica autem est Ecclesia, cum, quia omnibus mundi ætati-
bus inde a condito mundo ad eius usque finem, & collecta hactenus est,
& deinceps colligetur: tum, quia per totum terrarum orbem tam latè
patet, quam latè nominis diuini inuocatio, siue per multos, siue per
paucos & singulos diffunditur.

59. Etsi enim non per omnia mundi loca simul & semel externa Ec-
clesiæ signa, & notæ vbiuis locorum vigent, aliquando tamen ibi vige-
erunt, & semper ferè sparsa sunt in quatuor mundi oras, qui nomen
Domini fiducia Christi mediatoris inuocent: cum, quia ex quibusuis
gentibus & linguis colligitur: tum denique, quia vnum commune do-
ctrinæ & fidei & vitæ ab ipso eius conditoris exordio, ad eius usque fi-
nem corpus complectitur, quod vnicam veritatis normam & agnoscit,
& sequitur.

60. Valent itaq; Donatistæ, qui angustiis Africæ locis quibusdam
circumscribebant, aut ad Ecclesiam Romanam allegatam putant.

61. Apostolica dicitur, quia in vnico Prophetarum & Apostolorum
fundamento innititur, eique tanquam lychno lucenti in loco caligino-
so attendit.

62. Etsi autem Catholica est Ecclesia, & aliis amplissimis epithetis
ab ipso Spiritu S. ornata, interdum tamen plus, interdum minus lucis
habet, & in visibili illa Ecclesia veritas cœlestis, interdum apud plures,
interdum tamen apud pauciores, conspicua est.

63. Eam etiam & errare posse, & multoties errasse, ita tamen, vt
semper quidam, qui à veritate non omnino defecerint, licet fundamen-
to foenum, paleas & stipulas, & non preciosos lapides superstruxerint,
certum est.

64. Vnde vanitas iactantiæ illius populi Iudaici templum Domi-
ni, & rursus non peribit lex à Sacerdote & pontificiorum de cathedra
petrina, falsitatis redarguitur.

65. Potestatem porrò Ecclesiæ, vt & de ea quædam moneamus, a-
liquam Ecclesiæ datam esse, non est, quod dubitemus.

66. Ea autem est vel ordinis vel iurisdictionis: Illa est eorum, quæ
ad ordinem & decorum in Ecclesia pertinent.

67. Is autem ordo respicit, cum personas, tum alia in publico Eccle-
siæ cœtu peragenda.

68. Habet enim Ecclesia potestatem Ecclesiæ ministros legitimo
modo

modo eligendi, explorandi, approbandi, & si ita necessitas postulet, rebus & causa legitimè cognita rursus deponendi.

69. Et hæc potestas Ecclesiæ data est, cum, in personis, qui munera sacra obeant; tum illis, qui cum thesauris Ecclesiæ, tum pauperum perficiuntur constituendis.

70. Qui porrò ita vnanimi eorum, quibus ab Ecclesia & nomine Ecclesiæ id demandatum est muneris, vocati sunt & vocantur, se ipsius Dei voluntate ad sua officia delectos esse, sciant, cui & suo tempore de administrato munere sit reddenda ratio, quod in illis curam excitare, & diligentiam acuere & alere debet.

71. In publico Ecclesiæ cœtu peragenda & administranda, partim ipsam doctrinam, partim ceremonias, respiciunt.

72. Quoad doctrinam in ea, Ecclesiæ ea est potestas, vt certas quasdam lectiones, quarum explicatio ad captum simpliciorum accommodata est, & ad ædificationem maximoperè faciunt, seligat, & pro necessitate Ecclesiæ cœtui proponi curet, qua in re magna prudentia & circumspectione opus est, & id opera danda, vt præcipuarum quarundam & historiarum & concionum, cum Christi, tum Prophetarum & Apostolorum vulgò propter summam eius ruditatem proponantur, quibus primaria doctrinæ cœlestis capita, tanquam fundamenta catecheleos proponantur.

73. Qua in re laudanda est maiorum nostrorum industria, qua magna prudentia vsi lectiones quasdam certas, & ad populi captum accommodatas per totius anni curriculum, cum ex Apostolicis, tum & Propheticis & Euangelicis scriptis ordinarunt, quorum institutum & factum, qui improbant, nimium inepti & in simplices, quorum captus multis onerari neque potest, neque debet, nimium sunt iniurii.

74. Præterea autem etiam potestatem habet Scripturas sacras non tantum prælegendi, sed & eandem interpretandi; ita tamen, vt explicatio & interpretatio ea sit fidei analogæ; qui enim loquitur, loqui debet eloga Dei, & omnis prophetia fidei analogæ esse debet.

75. Præter hoc autem & potestatem habet diiudicandi spiritus, & vtrum illi sint ex Deo probandi, & quod hoc illi sit mandatum, & quod falsos doctores fugere iubentur, & quod Ecclesiam malignantium deserere, & ab ea se se segregare, iussu diuino tenentur.

B 2

76. Vg

76. Ut autem potestatem habet in doctrinam inquirendi, sic & potestas illi est, falsos doctores deuitandi, & ne ouile Christi per lupi subouilla pelle latentis vocem inficiatur, & per cœtum in foueam & æternum simul exitium pertrahatur, legitimo modo deponendi.

77. Cum hac autem potestate etiam id coniunctum est, quod potestate simul donata est, certa tempora diei & horas ordinandi, quibus populus, vel ad præcipuorum quorundam Dei beneficiorum considerationem, vel ad publicas preces, vel ad consuetarum lectionum explanationem conueniat.

78. Ceremoniæ autem sunt vel diuini vel humani iuris & constitutionis. Ad illius & in veteri & in nouo Testamento, pertinent & sacrificia & Sacramenta, quibus vt, quoad ipsorum substantiam, nihil est addendum, sic etiam nihil detrahendum.

79. Cum autem in Ecclesia omnia fieri debeant ordinè & decen-ter, etiam hac in parte liberum est Ecclesiæ suis quibusdam, ad decorum tamen & ordinem facientibus atq; conducentibus ritibus uti, siue illi in singulari quodam vestitu, siue conceptis verbis consistat.

80. Quemadmodum hætenus Ecclesiæ Lutheranæ ministri magna ex parte singulari quodam in publicis ritibus vestitu, linea veste, exorcismo, circa baptismi administratione vsitato, aris lapideis, & similibus sibi à Deo concessæ libertatis iure, citra cuiusquam offensionem utuntur.

81. Ut autem Ecclesiæ hæc libertas adimenda non est, sic in horum rituum & rerum adiaphorarum vsu maximopere videndum & cauendum est: Cum ne laqueus vllus conscientis, quasi leges illæ diuini cultus partes sint, iniiciatur: tum ne pro graui & honesto, vtilique ordine constitutis inepta, inutilia & ridicula constituentur: Tum ne eorum multitudine cultus diuinus non modò non adiuuetur, sed & impediatur etiam: Tum denique, ne falso religionis prætextu vsitati illi ritus & ceremoniæ, in superstitione degenerent, & quicquã meriti illis tribuatur.

82. Hanc igitur Ecclesiæ potestatem non infinitam, sed certis suis limitibus circumscriptam esse, quis dubitet?

83. Neque enim potestatem habet sacras Scripturas pro suo arbitrio interpretandi; ea tamen ἰδίας ἐπιλύσεως non est, sed vt fidei analogica sit oportet.

84. Multò verò minus concessum ipsi est, eam contra veram & genuinam, quam totius orationis contextus, & locorum similium collatio ostendit, explicandi.

85. Minimè

85. Minimè verò omnium illi data est potestas, vel nouos fidei articulos condendi, vel noua Sacramenta instituendi, aut ea, quæ ab ipso instituta sunt, vel mutandi vel mutilandi, aut ea, quæ Deus prohibuit permittendi, aut quæ ab eo vel mandata vel promissa sunt prohibendi.

86. Quod si itaque Ecclesiæ eiusmodi quædam vel proponantur, vel etiam sub puerorum interminatione obtrudantur, quæ vel cum Dei verbo pugnent, vel Christianam libertatem destruant, ea neque recipienda sunt, neque citra conscientiæ & veritatis læsionem recipi possunt.

87. Potestas iurisdictionis ea est, quam cum in potestatis, clauium, tum disciplinæ scholasticæ exercitio habet.

88. Potestatis huius duæ sunt partes; quarum altera in peccatorum remissione, altera in earundem retentione consistit, fitque vel publicè vel priuatim.

89. Vtraque est vel vera, vel falsa: Vera, quæ secundum normam & formam verbi & mandati diuini exercetur. Falsa autem, quæ secus.

90. Potestas disciplinæ ea est, quæ in morum & vitæ singulorum censura occupatur.

91. Et est vel correctionis, vel excommunicationis, in quibus, qui processus sit obseruandus, vel ex Christi vel Pauli cum institutione, tum & exemplo liquet.

92. In hoc autem censuræ exercitio id maximoperè cauendum, cum ne quippiam nostris demus affectibus: tum ne mendacium pro veritate amplexi, ei, qui reus arguitur, iniuriam facimus: tum denique, vt in his omnibus gloria Dei, ædificatio Ecclesiæ, & salus eorum, qui sub censuram vocantur, quærat.

93. Notæ porrò, quibus vera & visibilis Christi Ecclesia agnoscitur, sunt sincerum & incorruptum Dei verbum in vero suo, quem & contextus & totius S. Scripturæ consensus parit, intellectu, in quo tota Catholica Ecclesia consentit, omnem ab hoc alienum consensum execrat.

94. Tum verus & legitimus & secundum ipsius Christi institutionem conformatus, & nulla in parte, vel quo ad eorum substantiam vel formam, vel verborum institutionis, vel vsus corruptelam, vitiatus vsus.

95. Et deniq; cum sancta ministerio debita obedientia, tum etiam publica confessio, & nominis diuini citra vllam idolatriam in nomine: & fiducia Christi inuocatio.

96. Quas Pontificii Ecclesie Catholice & Apostolice comminiscuntur notas, eas, ut nothas & adulterinas agnoscimus, sic & easdem rejicimus & improbamus.

97. Etsi autem Ecclesia Deo summæ curæ & unica ac sola Christi sponsa est, variis tamen ea in his terris exercetur & oneratur calamitatibus, quarum, respectu finium, ratio non est una.

98. Passionibus autem & calamitatibus Christi, quæ fuerunt *σοτήρια πάθη*, quæ pro salute & redemptione humani generis sustinuit repositis, tres potissimum sunt eorum species: vel enim sunt *τιμωρία*, vel *δοκιμασία*, vel *μαρτύρια*.

99. *Τιμωρία* sunt, quæ hominibus, cum ob uniuersalia, tum singularia & peculiaria, quædam peccata imponuntur ab ipso Deo.

100. Non propterea ut sint quædam pro peccatis admissis & commissis satisfactiones, sed atrocitatis peccati, & iræ diuinæ commotiones, & nisi homo mature & tempestiue resipiscat, æternarum pœnarum iudices.

101. *Δοκιμασία* sunt, quibus piorum fides, patientia, inuocatio & similes virtutes explorantur, & ut alijs documento, & institutioni sint, exercentur ac expoliuntur.

102. *Μαρτύρια* ea sunt, quibus Dominus suam veritatem inuicta multorum Spiritus sui sancti robore confirmatorum constantia, & animi in perferendis tormentis, & supplicijs etiam exquisitissimis alacritate confirmat & demonstrat.

103. Quæ autem præterea horum omnium causæ sunt, & quæ in hisce omnibus tenendæ consolationes, alibi exponatur.

104. Quanquam autem & Christus Ecclesie caput, & summus præfectus rex est & dicitur, & ipsa etiam Ecclesia eius & regni & reginæ nomen & appellationem obtinuit: in infinitum tamen est discrimen regnorum Christi & mundi, de quo consulentur illi, qui ex professo de hac re egerunt.

105. Omnia autem erronea figmenta & commenta, quæ cum hætenus explicata doctrina de Ecclesia Christi vel pugnant, vel alioqui cum ea non consentiunt, & falsa esse, & à verbo Dei dissidere, affirmare nullatenus dubitamus.

F I N I S.

AD ORNATISSIMUM AC
DOCTISSIMUM IUVENEM DN.
HENNINGVM CORVINVM ESALI-
nis Heroum, SS. Theologiæ studiosum, ami-
cum suum charissimum;



N? CORVINVS adest perlustrans plurima quæq;
Dotibus, omnipotens quas sibi IOVA dedit,
Dotibus ingenij iungens se, clare Boëthi,
Eximij, quæ sunt suspicienda, tuis,
Quem pietas, virtus & dona stupenda coronant;
Qui sit IVLIADIS lux celebrata Scholæ,
Quiq; potest nobis mandata sonare Tonantis
Et monstrare simul lucida ad astra viam.
Hinc tam Praesidio claro suffultus, arenam
Strenuus ingreditur, noxia quæq; fugit.
Ergo feres laudem, assiduè quod castra sequaris
Aeterni Flatus, optime amice tuam.
Gratus eris Patriæ, Patribus cunctisq; propinquis
Verus enim vera religionis amans
Gratior adest summo Christo, Christi q; cohorti
Scommata qui heresum sedulitate fugas,
Ο φιλομάσσε mihi gratus præ millibus vnus,
Perge vt capisti, chare, quid ulterius?

MICHAEL EVVENINGIVS
Brunsvicensis F.

ADORNATISSIMVM AC
DOCTISSIMVM IVVENVMDN.
HENNINGVM CORVINVM ESAL.


IN CORVINVS...
Datis...
Dedication...
Eximius...
Quoniam...





Quis potest...
Et...
Hinc tam...
Sic...
Ergo...
Atheni...
Gratia...
Gratias...
Gratias...
O...
Per...

MICHAEL PAVENINGIVS
Bibliopola









Jg 33 50

ULB Halle 3
003 560 996



f

TA → OL

Muram 4 u. 11

Verknüpfung

VD 77



nam rāngēs inā legis subve
Marais leo per deser
nū dānēs rīgt in apernū iter si
ar deo rēnū mīdū cūz a crum
Scomānes ala vna carna
us aquilina sū: nū terro m


rūc rōns uolāt a xis mīdū dūm
dīstretalīs cōta sensus uheralīs
ala cōntēplāto
rīgētū: mīter āqer sūmū dūm
mīs hāqūndat mīs legmū dūm
nūc sūmū mī dōs est xpc mī





B.I.G.

Farbkarte #13



DISPUTATIO XIIX.
DE ECCLESIA DEI.

Quam

SVB PRAESIDIO

REVEREN-
DI ET CLARIS-
SIMI VIRI, DN. HEN-
RICI BOETHII SS. THEOLO-
giae Licentiatii in inelyta IVLIA Pro-
fessoris publici, inter priuatos pa-
rietes defendit

HENNINGVS CORVINVS
è Salinis Heroum.



MAGDEBURGI
Typis VVilhelmi Rosij, Anno
M. D. XCVI.

